



7299, 1 23
~~204~~

DE
FACVLTATE, RECEDENDI A LICITO IN-
TRA LICITATIONIS TERMINVM, OB DETERIORA-
TIONEM PRAEDI, CASV EXORTAM,
LICITATORI DENEGANDA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE

ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE

PRO

IVRIVM DOCTORIS DIGNITATE

DIE XXVII. APRILIS MDCCCLXXXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS HEYLIGENSTAEDT

IENENSIS

ADVOCATVS SAXO VINAR. ET SOC. LAT. IEN. SODALIS.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNI,



INSTITUTIONES TERMINUM, OB DETECTIONEM
THEODORI BARONIS, CASUS EXORTIAM,
EXCITATIONE DEMERANDA

DE ERATO INVECTIVIS

LECTORE ACACIUM MAGNIFICENTISSIMO
SEMPTIMO PRINCE AC INFINITO

CAROLO AVGVSTO

IVRYM DOCTORIS DICHTATE

CAROLVS HEYFGENSTADT



Nulla fere materia in jurisprudentia occurrit nostra, quae omni modo indubia et certa vocari possit. Evolvamus Perillustri Walchii atque Cocceji collectiones Controversiarum, perspiciamus acta in judiciis conscripta, perlegamus Responsa ac Iudicata celeberrimorum Ictorum; innumeras inveniemus quaestiones dubias, decisiones, atque pronuntiata, sibi invicem saepe adversantia. Quae vero dissidiorum causae sint, atque rationes, investigandi locus hic non est. Saepius nonnisi in legum e. g. Corporis juris Romani obscuritate latent. Est difficillimi quid, sensum genuinum legum ante bis fere mille, pluresque annos editarum eruere, nec quisquam est, qui ignoret, interpretes de legibus in lingua vernacula nostris temporibus latis jam inter se discrepare. Et tanta saepius adest controversia, ut veritatem nonnisi adhibita maxima cura assequi possis.

Inprimis quidem id accidit in quaestione illa: Utrum licitator ante licitationis termini lapsum a licito, ob deteriorationem rei casu exortam, recedere possit, an non?

A

Obve-



Obveniebat nuperrime idem casus. Praescribatur praedium, prope Salae flumen situm. Licito primo interposito alius B meliorem afferebat conditionem, repellebatque priorem licitorem A. Paulo post exorta inundatione deterius reddebatur hoc praedium. Quo casu commotus dictus B revocavit licitum. Jam oritur quaestio, utrum juste a licito recedere potuerit, an non?

Cum autem judicarem, tale argumentum non solum ad disputandum aptum, sed quod etiam magis accuratiusque pertractetur dignum esse; hac in dissertatiuncula de ieo brevissimis verbis disserere constitui. Praestiterimne, quae praestare studui, iudicio doctorum subijciam.

In pertractanda hac materia, hanc prosequar'viam, ut primario adversariorum argumenta proferam, deinde, quae de hac re statuenda esse mihi videntur, adjiciam.



§. I.

Argumenta eorum, qui licitatori jus tribuunt recedendi a licito pendente adhuc subhaftationis termino optime exposuit Titius in observationibus ad Lauterbachii Compend. Digg., in specie in Titulum: De in diem additione. Liceat hujus auctoris verba hic recitare, cum reliqui aut nullas aut nimis vagas aut non idoneas allegent rationes. Verba sic sonant:

„Addictio Romana, sive expressa, sive tacita, praesupponit emtionem *uni emtori*, pretio non plane vili aut inaequali, „voto tamen venditoris non omnino satisfaciente, factam et „*rei traditione ut plurimum* consummatam. Nimirum saepe, dum „pecuniae egemus, res nostras viliori pretio distrahere cogimur, quo igitur id, quod hactenus deest, aliquando forte „consequamur, ideo, si ad hoc emtorem permovere liceat, additionem adjicimus, qua venditio in eventum largioris pretii, vel suspenditur, vel, quod frequentius, resolvi praecipitur. Atque hanc additionis, venditionisque praecedentis „sup-




„suppositionem speciatim occurrere in venditionibus fiscalibus
 „Romanis, ex textibus (nempe L. 21. §. fin. D. ad municip. L.
 fin. D. de jure fisci, L. 4. C. de fidé et jure hast. fisc. L. 1. C. de
 vend. reb. civ.) „nobis probabile videtur. Haec si admittas,
 „manifestum est, quod venditio, addictione stipata, penitus
 „differat ab illa venditione, quae *Auctio* dicitur, quaque res
 „in *plures licitatores* distrahenda proponitur, ea lege, ut plus li-
 „citantium illa cedat, nam in hac *neutiquam* dici potest, quod emptio,
 „simulac primus licitatus, statim sit perfecta, ab eaque, alio
 „licitatore plus offerente, abeat, sed dicendum potius, quod
 „omnes illae licitationes tractatum saltem rationem habeant,
 „donec per eas ad pretium summum perveniatur, eademque
 „emptio intra statutum tempus concludatur. Ex his intelli-
 „gitur, quo loco venditiones sub hasta sive Romana, sive Sa-
 „xonica haberi debeant? Ego non puto, quod illae ad singu-
 „las licitationes, pro emptio perfectis, addictione in diem
 „resolutoria stipatis, haberi debeant, sed mutua illa licitan-
 „tium certamina pro tractatibus saltem, quibus demum ad
 „unius perfectionem deveniatur, reputanda esse arbitror.
 „Hinc 1) addictionem tacitam, quae venditionibus fiscalibus inest,
 „a venditionibus sub hasta seu subhastationibus distingui debere
 „existimo, nimirum sive fisco simpliciter, sive sub hasta rem
 „vendidisset, ei id privilegii competebat, ut, meliore condi-
 „tione intra certum tempus oblata, ab emptore recedere posset.
 „Clare satis hoc discrimen apparet ex L. 21. §. fin. D. ad muni-
 „cip. L. 1. C. de vend. reb. civ., ubi privilegium tacitae addi-
 „ctionis ad venditiones civitatum municipalium non pertinere
 „dicitur, sed quis dubitet, quin civitates per modum auctio-
 „nis vel subhastationis res suas distrahere potuerint? Hinc illud
 „ab



„ab hac venditionis specie differre, necessario consequitur.
„2) Ex dictis consequitur, quod in subhaftationibus Saxonice
„licitator poenitere, ut et venditor consentientibus creditoribus
„a venditione sub hasta suscepta recedere possit, porro quod pri-
„mus licitator, simulac alius plus obtulit, liber sit, licet nova li-
„citatio a iudice subhaftante nondum sit accepta, prout tres il-
„lae assertiones placuerunt *Carpz. P. 1. c. 32. d. 44. 45.* aliisque
„cum sequentibus, nam emtio hactenus fuit imperfecta ac in
„terminis tractatus consistit. — Nec hoc nocet, quod admissa
„licitatoris poenitentia hic subhaftationes morari, vel alio modo,
„suo iure abuti queat. Ex tractatu enim praeparatorio plures
„perfectae emtiones, reclamante negotii indole, non sint excul-
„pendae. Si in subhaftationibus tolleretur ius primae licitatio-
„nis, utpote quod ex confusione auctionum et venditionum, ad-
„dictione munitarum, originem habere videtur, ac in univer-
„sum illae, ad exemplum fere auctionum, breviori tempore cir-
„cumferrentur, tum abusus facile cessarent, sed dubio procul
„ex secretiori iurisprudencia aliquid suppetit, quod pro his alle-
„gare liceat.“

Aliam etiam exhibet rationem *Carpz. P. 1. c. 32. d. 45.* nempe:
„Ante tempus subhaftationis effluxum licet licitatori rece-
„dere a subhaftatione, *quia idem* liceat venditori seu debitori ob
„L. 5. de D. ad Legem Iuliam etc.“

Eademque est *Philippi* sententia in tractatu de subhaftatio-
nibus Cap. III. Com. 16. n. 114. seq. „Licitatori ac debitori, du-
„rante adhuc licitationi praefixo tempore, poenitere atque obla-
„tionem suam revocare concessum est. Cur enim licitatori sive
emto-



„emptori id non liceat, quod debitori et venditori; saltem *ex natura correlatorum*, quorum eadem est ratio. Et sane ante decursum temporis licitationi praefixi nulla nascitur obligatio inter licitantem et proscribentem. Bartol. in L. 9. D. de public. n. 4. Res ergo est integra et nulli ante ius quaesitum arg. L. 19. C. de fide instrum. Nec emptio per licitationem, sed tum demum perficitur, cum nemo maius pretium intra tempus destinatum offert.“ Quam sententiam tuetur quoque *Tabor* in tractatum T. 1. pag. 5.

Cuius si accuratius exploramus opinionis rationes, mox inveniemus, omnia ad illam reduci posse quaestionem, utrum naturae emtionis, quam Auctionem vocamus, contrarium sit, in illa additionem in diem statui, atque utrum subhastatio differat in essentialibus a Romanorum emtione venditione fiscali sive sub hasta fiscali, an non? — Antea autem, quam progrediamur ad tractationem sententiae nostrae, inquiramus vim ac veritatem ratiocinationum, quibus usi sunt defensores sententiae antea prolatae.

§. 2.

Titius in loco antea citato, discrimen inter subhastationem et emtionem venditionem fiscalem deducere studens aperte committit petitionem principii. Libenter Viro doctissimo concedo, omnibus venditionibus fiscalibus Romanis inesse additionem in diem et quidem resolutivam tacitam. Ex hoc autem nondum consequitur, manifestum esse, quod venditio additione stipata penitus differat ab illa venditione, quae Auctio vocatur, quaque res in plures licitatores distrahenda proponitur, ea lege, ut plus
lici-

licitanti cedat. Opponit haec requisita e natura auctionis deducta illis, quae sunt emtionum fiscalium Romanorum. Addictio Romana secundum Titium supponit emtionem *uni emtori* factam, addictione attamen adiecta, qua venditio in eventum largioris pretii — resolvi praecipitur. Caput rei in illo Titius quaerere videtur, quod in emtione venditione addictione *inita uni emtori* fiat venditio, in auctione autem *pluribus*. Quid sibi velit hoc discrimen constituens luculenter perspicere nequeo. Nam si significetur, in emtionibus sub addictione in diem resolutiva *in initis semel* tantummodo fieri posse mutationem in emtore, meliorem afferente conditionem, tum legi haud dubiae contraria est eiusmodi sententia, nempe L. 11. D. de in diem additione.

Aliam tamen haec verba admittunt interpretationem, nempe illam, quod in auctione nostra plures convocentur emtores, in emtione sub addictione vero nonnisi unus. Exinde autem sequeretur, auctionem in emtionem sub addictione initam mutari simulatque unicus tantum accedat licitator. Ergo omne discrimen penderet a casu quodam. Nonne autem in emtione venditione addictione munita plures quoque convocantur ad emtionem unius eiusdemque rei? Si quis rem sub lege addictionis in diem emit, quid efficitur aliud, quam quod eventualiter ipsi tantummodo concedatur dominium usque ad lapsum temporis, intra quod venditor sibi reservavit ius ab hoc contractu recedendi, si pinguior exstiterit emtor. Quisnam impediret venditorem, quo minus e. gr. in ephemeridibus declaret, se venditurum esse praedium suum cuidam B. sub hac quidem conditione, ut sibi liceat, a contractu recedere, si intra sex hebdomatas pinguior sese offer-

ret



ret emtor? Quibus positis, quid demum discriminis intercedit inter emtionem venditionem sub additione adiecta, atque inter auctionem ratione emtorum? Quare ex numero et quantitate emtorum concurrentium discriminis ratio peti nequit. Quomodo autem ex convocacione plurium emtorum sequitur: omnia, quae nondum effluxo licitationis termino peraguntur, tractatum tantummodo habere effectum? Tractatus sunt oblationes mutuae *ineundae conventionis causa factae*, sed acceptatione desitutae. Occurrere possunt aequae in emtionibus sub additione iniitis, ac in auctionibus. Ratio discriminis inter tractatus et contractus non consistit in numero contrahentium, sed in voluntatis declaratione et acceptatione eius a parte alterius paciscentis. Quare Titius probare debuisset, esse hanc auctioni naturam, ut per licitationes nulla declararetur voluntas obligatoria. Quod minime autem peregit, nec peragere potuit. Nam, si quaerimus, curnam emtio venditio sub additione differat ab auctione? respondetur, quia in illa uni emtori fit venditio, in auctione autem plures concurrunt emtores, omniaque tractatum nomine peraguntur. Cur autem hoc? Quia emtio venditio sub additione differt ab auctione. En apertum demonstrationis circulum! Deinde Titius ex nonnullis legibus supradictis deducere studet, additionem tacitam, quae venditionibus fiscalibus inest, a venditionibus sub hasta distinguendam et hanc tacitam additionem a subhastationibus excludendam esse. Leges sic sonant. L. 21. r. D. ad municip. „Si civitas nullam propriam legem habet de adiectionibus admittendis, non posse recedi a locacione vel venditione praediorum publicorum iam perfecta; tempora enim adiectionibus praedita ut ad causas fisci pertinent.“ L. 1. C. de vendendis rebus civitatis.

tis. „*Si sine ulla conditione* praedia vendente republica compara-
 „*sti*: perfecta venditione, nulla ratione vereris, ne adiectione
 „*facta*, auferri tibi dominium possit. Tempora enim adiectione-
 „*nibus* praestituta ad causam fisci pertinent, nisi si qua civitas
 „*propriam* legem habeat.“ In his legibus de privilegio fisci sermo est, vi cuius huic competat ius recedendi a pacto iamiam perfecto, sin melior afferatur conditio, quanquam pure et sine additione in diem inita sit e. g. emtio venditio. Privilegia autem strictissimae sunt interpretationis. Qua ex ratione legislator commotus in locis enumeratis civitatibus idem negat privilegium sub clausula tamen, nisi propriam habeant legem, aut talis conditio sit adiecta. Qua lege ille casus, si sub conditione res sint venditae, non est exclusus. Expressis enim verbis hic excipitur casus, omnisque causae decisio ad illum refertur, quo *sine ulla conditione* res venum datae sint. De eo autem disceptatur, an auctionibus sive subhastationibus insit additio in diem tacita? nec sufficiunt hae leges ad reiiciendam sententiam, quia ponunt quaestionem iam decisam, quae adhuc dubia et decidenda est.

Nec iustiores ratiocinationes *Carpzovii* et *Philippi* in locis citatis sunt, qui ob paritatem obligationum et correlatorum licitatori idem tribuunt ius, quod venditori. Aliae enim sunt obligationes emtoris, aliae venditoris in huiusmodi pacto. In favorem solius venditoris tendit pactum additionis in diem. Ad iustam et validam argumentationem ab obligatione unius contrahentis ad obligationes alterius necessario autem requiritur, ut in pari causa parique conditione versentur. Quod minime autem hoc in loco cernitur. Sed haec sufficiant

B

ad



ad demonstrandum, autores et defensores sententiae prolatae magis sophermatibus usos fuisse, quam ratiocinationibus. Quod magis etiam ex disquisitione ipsius materiae elucebit.

§. 3.

Unaquaeque acquisitio rei ad $\tau\sigma$ suum alterius pertinentis plures involvit actus suscipi. Ea enim id agere studemus, ut pars patrimonii alterius adiiciatur patrimonio nostro. Occurrunt alienans, qui amittit ius, in alterum transferendum, et acquirens, qui idemque ius adiungere studet $\tau\alpha$ suo. Duplici modo talis mutatio cogitari potest, quae sit vel vi, vel per actum quemdam libertatis. Prius si statuis, ille, cui detrahitur pars patrimonii, contra voluntatem suam ad factum cogitur quoddam. Quo contineretur factum iniustum, adeoque iuridice invalidum, nec obligatorium. Ulteriori casu actus requiruntur voluntarie suscepti. Necessario igitur ad iustam acquisitionem partis $\tau\beta$ sui ab altero requiritur, ut conveniant partes de hoc obiecto transferendo. Voluntas ab una parte declarata ex altera acceptata de peragenda eiusmodi obiecti translatione constituit pactum. Et quidem a parte alienantis requiritur *promissum*, i. e. declaratio, se translaturum esse ius suum in alterum, a parte acquirentis, declaratio de acceptatione promissi. Quibus peractus unicuique paciscentium ius competit in personam alterius ad id, ut hic satisfaciat promissis eaque peragat, ad quae peragenda obligationem in se suscipit. Pactum quoad consensum est perfectum. — Maxime autem ab his actibus differunt actus illi, qui quasi viam ad ineundum pactum parant. Voluntatis quidem declarationem continent, at sine obligatione, quia in illis a parte alienantis futuri de eo sermo haud est, ut iam
trans.

transferre partem patrimonii sui voluerit, sed, ut eventualiter, si acquirens futurus approbaverit propositionem suam, paratus sit ad ineundum pactum. Eademque ratio est acquirentis futuri, qui in tractatibus adprobat solummodo propositionem. Maxime igitur et in essentialibus quidem tractatus a pactis differunt, nec quisquam ex illis obligatur. Alius denique superest actus, qui pacto constituitur, nempe ille, quo consumatur obligatio in pacto promissa, quo adsequimur propositum. Omne enim pactum eo tendit, ut ius aut rem ab altero adquiramus. Vix ad hunc finem est pactum. Rem ipsam autem pacto nondum adquirimus, sed tantummodo ius in alienantem, cuius vi cogi possit ad impletionem contractus seu pacti. Qui effectus quidem est obligationis, minime autem obligatio ipsissima. Consummatio pacti novum igitur requirit factum, quod consistit in ipsius obiecti translatione ac promissi complemento.

§. 4.

Posito igitur pacto, ponitur quoque obligatio ad perficienda ea, quae ad allequendum finem conferre possunt. Pacta de re acquirenda inita, tendunt ad id, ut res transferatur ab alienante in acquirentem, ac si sunt onerosa, a parte acquirentis, ut praestet pro translatione rei ea, quae praestare promiserit. Cum autem a voluntate paciscentium pendeat, quibus restringatur limitibus obligatio, nemo dubitabit, quin possint adiaci quaedam cum ipso pacto haud necessario coniunctae conditiones, ad quarum eventum suspendatur obligatio ad perficienda ea, quae finem pacti constituunt. Quo posito adest pactum conditionatum. Sed nuda adiectione eiusmodi conditionis haud suspenditur *omnis* obligatio, sed illa tantum, ut ab eo momento, quo
pactum



pactum sit initum, adimpletio s. implementum pacti posci possit. Adest *obligatio*, sed alia, quam in pacto puro. Adijci potest e. g. talis conditio, qua intra certum tempus eveniente pactum pro non inito habeatur. Quo autem nihil aliud significari potest, nisi ut conditione existente illum effectum, quem pactum haud existente conditione producere debuisset, producere haud possit. Nam si conditionis adiectae effectus talis esset, ut nullum adesset pactum, ac nulla quoque obligatio, ante lapsum constituti temporis; absolute falsa ac sibimet ipsi contraria haec esset opinio. Simulac enim voluntas utrinque declarata et acceptata adest, adest quoque pactum. Haec autem in pacto conditionato quoque invenimus. Alienans promittit, se translaturum esse rem in alterum, nisi obveniat eventus quidam, acquirens autem acceptat promissum. Adfunt igitur essentialia pacti, — adest igitur quoque pactum, ergo obligatio. Ponamus, ab uno tantum contrahentium addi eiusmodi conditionem, ab altero autem non addi, tunc ratione obligationis ex parte eius, qui conditionem non adiecit, nullum adest discrimen inter pactum purum et conditionatum. Cum hisce quoque optime contentit usus loquendi. Nam, si tempore initi pacti nondum adesset ulla obligatio, nec verbi: *pacti conditionati* usus esset admittendus. Significaret enim consensum obligatorium *haud obligatorium*. Praeterea quisnam negabit, adfuisse obligationem, si quis casu impeditus est, quo minus pacto satisfacere possit? — Aderat obligatio, quae casu superveniente adimpleri haud potuit. In conditionato igitur pacto oneroso de re transferenda inito alienans, si hic adiecerit conditionem, obligatur, ad transferendam rem in acquirentem, nisi exstiterit conditio, acquirens autem, ut praestet promissa. Quare pendente condi-
tione

tione acquirenti haud licet recedere a promisso semel dato, quia convenit cum alienante de eo, quod conditione haud obveniente pro re transferenda quaedam praestare velit. Tenetur igitur expectare eventum, eoque alienanti manet obligatus.

§. 5.

Quae de pactis in genere pralata sunt, adplicemus ad emtionis venditionis contractum. Emtio venditio nihil aliud erit, nisi voluntatis declaratio utrinque acceptata de re pro certe pretio transferenda. Occurunt emtor et venditor. Finis emtionis consistit in acquirendo rei dominio. Medium ad adsequendum propositum est pactum. Quod perfectum erit ratione consensus, simulac convenerit inter partes de re et pretio. Omnes obligationes ex ea causa factae, ut determinetur res et pretium, praeparant tantum viam ad emtionis venditionis pactum, tractatumque obveniunt nomine, ac nullam continent obligationem. Traditio rei et solutio pretii illi sunt actus, quibus consummatur emtio venditio sive quibus peragitur id, ad quod peragendum contraheptes sese obligauerunt. Emtio venditio pura est, qua contraheptes sine omni restrictione; conditionata, qua sub restrictione quadam sese obligant ad perficienda ea, quae finem constituunt emtionis venditionis. Varia autem conditionum genera in emtionibus obuenire possunt. Maximi sine dubio momenti inter haec ea est conditio, quae occurrit sub nomine *additionis in diem*. Quo efficitur, ut accidente largiori emtore, tota corruat emtio venditio antea sub hac lege inita. Duplici effectu haec adjici potest conditio, nempe aut *resolutive* h. e. ita, ut emtio venditio prorsus perfecta, aut jamjam consummata tollatur, aut *suspensive*, ut consummatio pacti differatur usque



usque ad illud tempus, quousque in casu melioris pretii jus recedendi a pacto venditori concessum est. Ratione effectus magnum adest discrimen. In emtione venditione sub additione in diem resolutiva emtor omnia domini exercere potest jura, quia emtio venditio ponitur utrinque ac prorsus perfecta; in emtione sub additione suspensiva hoc tantum est actum, ut pactum consummandum sit, si melior emtor intra certum tempus non exsiterit. Venditor ad transferendam rem usque ad illud tempus, intra quod recedere potest a pacto, meliore obveniente conditione, obligatus est, et tantummodo allata conditione liberatur, nisi aliud quid aut pacto aut lege sit constitutum. Refringit haec conditio obligationis consummationem a venditoris aequae, ac emtoris parte ad certum usque eventum.

Conditio resolutiva magis pro pacto speciali emtioni venditioni omnino perfectae adjecta habenda est, quia negotium, per emtionem venditionem peragendum, qua plene peractum ponitur. Conditio suspensiva autem mutat quodammodo naturam emtionis venditionis atque effectum hujus pacti usque ad certum tempus suspendit.

Quibuscum et leges positivae conveniunt nostrae. Videatur L. 3. D. de periculo et commodo rei venditae, quae quaestionem movet de initio obligationis et tali modo decidit causam: „Si id, quod venierit, appareat, quid, quale, quantum sit, „et pretium et pure sit, perfecta est emtio. Quod si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est emtio, quod si exsiterit, periculum est emtoris. — Quod si pendente conditione emtor vel venditor discesserit, constat,

fi

si exstiterit conditio, heredes quoque obligatos esse, quasi jam
 „contracta emtione in praeteritum.“ L. 1. D. de in diem addic-
 tione, ubi Ulpianus: „Quotiens fundus in diem addicitur, utrum
 „pura emtio est, sed sub conditione resolvitur; an vero condi-
 „tionalis magis sit emtio quaestionis est? Et mihi videtur verius,
 „interesse, quid actum sit. Nam si quidem hoc actum est, ut
 „meliore allata condicione discedatur; erit pura emtio, quae sub
 „conditione resolvitur, sin autem hoc actum est, ut perficiatur
 „emtio melior conditio afferatur, erit emtio conditionalis.“

§. 6.
 Necesse autem est, ut diligenter nunc examinemus iura et
 obligationes ex emtionibus venditionibus additione in diem
 munitis prodeuntia. Primum ad additionem in diem resoluti-
 vam nos convertamus. Statim emtio venditio, cui hoc pactum
 est adiectum, perficitur, omnesque producit effectus, qui em-
 tioni purae insunt. Hinc per traditionem insequentem transfer-
 tur dominium, qua per acta ufucapere, fructus accessiones lu-
 crari (L. 2. §. 1. D. de in diem addict.) oppignorare (L. 4. §. 3. D.
 quibus modus pign. solv. L. 7. D. de Reg. Iur.) vindicare (L. 66.
 D. de Rei vindic.) interdicto quod vi aut clam uti (L. 4. §. 4. D.
 de in diem addict. L. 11. §. 10. D. quod vi aut clam) commo-
 dum percipere potest, incommodaque ferre tenetur (L. 4. §. 4.
 D. de in d. a.). Quae omnia valent, quousque conditio illa ad-
 iecta resolutiva non exstiterit. Sin autem exstiterit, emtio ven-
 ditio antea perfecta et consummata resolvitur ita, ut emtor desinat
 esse dominus (L. 1. in fine, L. 2. D. de in diem addict.) et ut re-
 tro ab initio pro non facta habeatur (L. 6. §. 1. D. de divers. et
 tempor. praeser. L. 19. D. de usurpationibus) pignus constitutum
 ipso



ipso iure tollatur (L. 4. §. 3. D. de in diem add.) emtor ad restituendos omnes fructus, commodaque teneatur (L. 6. pr. et L. 16. D. tit. cit.) etc. Venditori ex altera parte competunt iuris remedia ad prosequendum ius suum obligationibus emtoris prioris respondens (L. 4. §. 4. in fine, L. 14. §. 1. in fine D. de in diem add. L. 11. §. 10. D. quod vi aut clam).

Hac in materia omnes fere causae, ex quibus haec lis oriri posset, sunt determinatae, nullumque fere de obligationibus et iuribus reciprocis superest dubium.

§. 7.

Aliter res se habet ratione additionis in diem suspensivae. Quamquam autem legibus non expresse omnes constituantur eiusmodi pacti effectus, attamen partim ex rei natura, partim argumentatione ex legibus plurimi deduci poterunt.

Si contrahentes conditionem suspensivam adiungunt emtionem venditioni, nil aliud eo intendunt, quam ut obligatio i. e. emtio venditio inter hos inita sit valida, nisi obvenerit intra certum tempus melior conditio, et ut eo usque effectus huius obligationis suspendatur. Nam si nulla adesset obligatio iamiam tempore pacti initi; haec esset contradictio in adiectum, quia tunc pactum conditionatum esset obligatio haud obligatoria. Venditor obligatus est inde a tempore initi contractus, a qua obligatione non prius liberatur, quam cum melior conditio oblata sit, nisi leges aut pacta in specie aliud quid constituant. Quare conditione meliore intra tempus constitutum haud oblata venditor transferre rem in emtorem tenetur. Ut huic obligationi
satis-

satisfaciat, ad culpae praestationem tenetur. Uterque contra-
 hens obligatur, et neutri competit potestas recedendi a contra-
 ctu. Quod attinet ad emtorem in specie, respectu eius emtio
 venditio sub addictione suspensiva inita omnino perfecta haberi
 debet. Nihil enim superest, quod ad obligationem emtoris ac-
 cedere possit. Consentit, rem sibi tradi pro pretio stipulato at-
 que consensus est purus in relatione ad emtorem ipsum. Im-
 pletionis pacti impedimentum provenit a venditore, quia hic
 sub quadam conditione sibi reservavit ius recedendi a pacto, mi-
 nime autem ex parte emtoris. Quoad consensum et conventio-
 nem obligatoriam inter partes emtio venditio sub addictione in
 diem suspensiva perfecta est, nulla deest res, quae requiratur
 ad obligationem producendam, sed eo tantum respectu imperfecta
 vocatur, quia exactio earum actionum, quarum necessitatem
 obligatio contrahentibus iniungit, pendente adhuc conditione lo-
 cum non habeat. Omnia enim invenimus, quae ad conficiendam
 emtionem venditionem obligatoriam requiruntur, nempe rem
 certam, pretium certum, et consensum. Nonnisi exercitium iurium
 obligatione acquisite suspensum est. Quibuscum et leges no-
 strae consentiunt, quibus constituitur, emtionem venditionem
 conditionatam simulac exstiterit conditio, eodem modo esse ob-
 ligatoriam, quasi iam contracta emtione in praeteritum. Leges
 tantam tribuunt conventionibus conditionatis vim, ut is, cui sub
 conditione aliquid promissum est, debeturve, creditor dicatur,
 resque, conditionatim debita iamiam pendente conditione an-
 numeretur bonis futuri acquirentis. Ita L. 42. pr. D. de obli-
 gation. „Eum, qui stipulatus est sub conditione, placet etiam
 „pendente conditione creditorem esse.“ L. 54. D. de Verb. signif.
 „Conditionales creditores dicuntur et hi, quibus nondum competit

C

„actio,



„*actio*, est autem *competitura*, vel qui *spem* habent, ut *competat*.
 „Et propterea *res promissa etiam pendente conditione*, creditoris con-
 „ditionis bonis annumeratur. L. 73. §. 1. D. ad L. Falcid.
 „Magna dubitatio fuit de his, quorum *conditio mortis tempo-*
 „*re* pendet, id est, an quod sub *conditione* debetur, id *stipula-*
 „*toris* bonis annumeretur et *promissoris* bonis detrahatur? Sed
 „hoc iure utimur, ut quanti ea *spes* obligationis venire possit,
 „tantum *stipulatoris*, quidem bonis *accedere videatur*, *promissoris ve-*
 „*ro decedere*. L. 11. §. 1. D. qui potiores in pignore. „Cum enim
 „semel *conditio* existit (in negotiis *conditionatis*) perinde habe-
 „tur, ac si illo tempore, quo *stipulatio* interposita est, sine *con-*
 „*ditione* facta.“ Aequiparatur igitur *emtionem* *venditioni* purae.
 In *venditione* autem pura a pacto semel inuito recedere nemini
 licet, qua de re nec in pacto *conditionato*, *conditione* existente.
 Sed ne *conditione* pendente quidem, quod praesertim ex *Lege*
 9. D. de in diem *addicti*, demonstrari potuerit. Verba haec sunt:
 „Sabinus scribit, licere *venditori* *meliores* *conditionem* obla-
 „tam abiicere, sequique *primam*, quasi *meliores*. (Ergo obliga-
 „tio *prioris* *emtoris* perdurat, atque adesse debet, et ne ipso iure
 „quidem auferatur per *oblationem* *melioris* *conditionis*). Quid
 „tamen, si hoc erat *nominatim* actum, ut liceret *resilire* *emtori*
 „*meliores* *conditio*ne allata? Dicendum erit, *dissolutam* *priorem*
 „*emtionem*, etiamsi *venditor* *sequentem* non admittat.“ *Expres-*
 „sum igitur *pactum* requiritur, quo illa obligatio non *recedendi* a
 „pacto tollatur. Inest ergo haec obligatio unicuique *speciei* *ad-*
 „*ditionis* in diem. Si *expresse* *adiicitur* *addictio* in diem *emtio-*
 „*ni* *venditioni*, nullum ratione obligationis, stare *contractui*, ad-
 „est *discrimen*, utrum fiat in forma *resolutiva*: ut, *meliores* *con-*
 „*ditione* oblata *discedatur* ab *emtionem* *venditionem*, et *res sit inem-*

ta, an in forma suspensiva, ut tum emtio perficiatur, et res emta sit, cum intra certum tempus melior conditio non offeratur. Emtio igitur per se obligatoria habetur, traditio vero (*effectus obligationis*) et in perpetuum addictio in pendenti est, donec conditio exstiterit. *Berger in elect. discept. for. Tit. 39, Obl. 9.*

Eandemque legum esse sententiam ex eo quoque patet, quod emtor ex conditionata emtione venditione obligatur, periculum deteriorationis pendente conditione exortum ferre. Quodsi nulla adfuisset obligatio inter emtorem et venditorem, ad rem transferendam, pretiumque exsolvendum elapso tempore, nulla quoque cogitari posset ratio, qua emtor periculum deteriorationis ferre obligaretur. L. 8. D. de peric. et commod. rei vend. expressis verbis haec statuit. „Sane si exstet res, licet deterior effecta, potest dici, esse damnum emtoris.“ Quibuscum etiam omnes fere consentiunt ICTi cf. *Carpz. P. 1. c. 32. def. 49. P. II. c. 26. def. 22. Lauterbach Comp. Digg. ad Tit. de periculo et com- moda rei venditae. Stryck in U. M. Lib. XVIII. Tit. 2. §. 5.*

Totius autem rei interitus periculum secundum eandem legem citatam ferre tenetur venditor, quia contractus, cuius complementum et perfectio absoluta a parte venditoris adhuc suspensa est, re transferenda extincta amplius perfici nequit. Emtor tum demum ad solvendum pretium obligatur, simulatque in conditionem ufucapiendi missus est. Quod in emtione venditione sub additione suspensiva prius fieri nequit, quam cum nullus melior et pinguior emtor priorem repulerit. Venditor ante omnia suae satisfacere tenetur obligationi. Exstincta autem re pendente conditione hanc obligationem venditor adimplere dominium.



niumque transferre nequit. Emtor eousque nondum erat dominus, sed tantummodo ius habebat personale, quare damnum rei interitu exortum tangit venditorem, cf. L. 8. D. de per. et comm. rei vend. L. 5. C. eod. tit. L. 10. §. 5. D. de iure dotium.


Aliud dicendum est de periculo, quo deterior facta est res. Hic translatio domini adhuc possibilis est, quanquam res minoris facta sit pretii. Venditor tantummodo ad necessariam custodiam in rem transferendam erat obligatus, et e parte sua satisfecit obligationi adhibita diligentia debita. Deterioratio rei quasi est accessorium rei principalis, quam sequitur. Ratio discriminis ut utar verbis ex *Philippi* tractatu cit pag. m. 599. desumtis haec est: „Quia in venditione conditionali quoad deteriorationem rei, seu damnum particulare, conditio retrotrahitur ad tempus contractus, adeoque emtio perinde habetur, ac si ab initio pure contracta fuisset. Quod in interitu alicuius rei totali locum obtinere nequit, quia re perempta, non reperit, ubi figat pedem, cum hoc in casu tota pereat et annihiletur emtio.“ *Stryck* in notis ad *Lauterb.* cit. in tit. de peric. et comm. rei vend.

Sufficiant haec de quaestionibus, quae parant viam ad causam principalem, atque nos convertamus ad huius disquisitionem.

§. 8.
Subhastatio, auctio, hasta publica, emtio sub hasta fiscali Romanis secundam significationem verbalem erat distractio rerum sub hasta, hoc est: eo loco, ubi de more res publicae venum exponuntur, et plus licitantibus addici solent, vid. *Phillipp.* in *Proleg.*

leg. ad tract. cit. comm. II. et III. Quod definitionem ipsius sub-
 hastationis concernit, varia quidem occurrunt verba, quae tamen
 in re fere omnia conveniunt. *Philippo* est bonorum a magistratu
 aucte solenniterque publice facta venditio, ex qua *de vero* consistet
partio, emtoresque plenissimam securitatem consequantur, jure
 civili introducta. Distinguit hanc ab additione in diem, quod
 in hac quidem etiam ei, qui *meliorem conditionem* intra tempus
 constitutum obtulerit, res addicatur, sed tamen nullae posteriores
 solennitates requirantur. *Hahn* ad *Wesembecium* lib. 18. Tit. 1.
 n. X. ita describit auctionem. Haec nihil aliud est, quam ven-
 ditio, qua palam, praedicante praecone, res venalis exponitur,
 vel praescripta addicatur *illi, qui vicrit*. Per plures autem alii, ex
 quibus tantummodo nominem *Schiller* in exercit. ad digg. ex.
 30. §. 49. *Brunnemann* ad L. 1. et 2. de in diem addict. *Stryk* in
 U. M. Digg. Lib. 18. Tit. 2. *Hellfeld* in jurisprudentia for. §. 1005
 alique contendunt, subhastationibus necessario inesse additio-
 nem in diem resolutivam et hanc conditionem uti partem essen-
 tialem notionis auctionis constituunt. *Titius*, uti jam supra
 diximus, in eo quidem consentit, Romanorum emtionibus fis-
 calibus inesse additionem in diem resolutivam; attamen con-
 tendit, emtionem fiscalem Romanam ab eo emtionis genere,
 quam Germani Subhastationem aut Auctionem vocant, maxime
 esse diversam. Rationes, quibus usus est, jam notae sunt.

Explorantes ea, ad quae tendit omnis subhastatio, decisio-
 nem forsitan assecuturi sumus supra expositae, et in theoria et
 in praxi dubiae quaestionis.



§. 9.

In eo conveniunt omnes, subhaftationem esse emtionem venditionem auctoritate publica susceptam, qua ei, qui optimam protulit conditionem, res adjudicetur. Et sufficiunt haec. Praecipue igitur tendit ad acquisitionem rei alterius pro pretio exsolvendo per pactum. Eadem igitur principia, quae valent de emtione venditione, et de subhaftatione tanquam de specie valere debent. Emtio venditio est aut pura, aut conditionata. Pura est, si simulac partes sine omni restrictione de re ac rei pretio conveniunt: conditionata, si conditio est adjecta. Consensus utrinque declaratus et acceptatus semper adesse debet, quo obligatio ad praestations exoritur. Evoluamus nunc Leges Romanas videamusque cuinam generi emtionum Emtio ficalis publica, cui ab omnibus ICtis, excepto Titio, aequiparatur Subhaftatio nostra, sit annumeranda. In L. 4. C. de fide et jure haetae ficalis, permittitur admissio augmenti pretii, si tempora, quae in *fiscalibus auctionibus vel haetais* statuta sunt, patiuntur. Constituitur, ut Rationalis justam pretii uberioris oblationem permittat, si ille, qui a pinguiore licitatore repulsus fuit, adjiciat idemque augmentum. Luculentius etiam loquitur L. 50. D. de jure fisci. Ponit casum de fructibus pendente additionis tempore perceptis, atque cuinam adjudicandi sint decernit: „Valerius“ haec legis verba „Patroinus Procurator Imperatoris Flavio Stalticio praedia certo pretio addixerat, deinde *facta licitatione* idem Stalticius *recte ea licitatione* obtinuerat, et in vacuum possessionem inductus erat, de fructibus perceptis medio tempore quaerebatur? „Patroinus fisci esse volebat: plane si medio tempore inter primam licitationem et sequentem adiectionem percepti fuissent, ad venditorem pertinere: sicut solet dici, cum in diem additio facta
est,

„est, deinde melior conditio allata est.“ Idem quoque statuit L. 21. §. „fin. D. ad municipalem etc. „Si civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis non posse recedi a locatione, vel venditione praediorum publicorum jam perfecta, tempora enim adjectionibus praeserta ad causas fisci pertinent.“ Ex his, quae hucusque allegata sunt, apparet, in emtionibus fiscalibus, et publicis, et privatis, admitti exclusionem prioris licitantis, si alius meliorem offerat conditionem. Quae conditio, ut supra jam est demonstratum, addictio vocatur in diem. Continet igitur emtio venditio sub hasta fiscali additionem in diem, quod non solum ipsissimis legum indicatur verbis, sed etiam ex huiusmodi negotii natura redundat. Quodnam autem sit additionis genus, hic explorare nil refert, quanquam haud difficilis futura esset probatio, additionem esse resolutivam, Quibus rationibus refelluntur sententiae *Taboris* l. supra cit. et *Carpzovii* l. c. qui post adjudicationem factam exoriri obligationem contendunt, adeoque licitis haud maiorem vim, quam tractatibus tribuunt.

Ponamus autem, legibus nihil decidi, ratione subhastationis effectus, tamen sanae rationi optime convenit, obligationem per licitationem ipsissimam constitui. In eo omnes conveniunt, ad producendam obligationem sufficere voluntatis declarationem obligatoriam, i. e. acceptationem et promissum, atque haec in contractibus bilateralibus quidem reciproca. Sin autem usque ad adiudicationem nulla adesset voluntatis declaratio obligatoria, in actu adiudicationis reciprocum promissum et acceptatio adesse deberet. — Sed adiudicatio solummodo fit ex parte iudicis, nec quidquam continet, quam iudicis declarationem, ab eo momento rem sub hasta venditam cum omni iure irrevocabiler pertinere ad eum, qui optimam obtulerit conditionem.



ditionem, quia tempus praeterlapsum sit, intra quod melior conditio admitti possit. Emtor hoc in actu nil promittit, nec acceptat. Sin ergo declarationes emtorum, eorumque licita ante adiudicationem nullam habuissent vim obligatoriam, post illam licere quoque deberet emtori recedere a negotio, quia actus, quo emtor obligatur (nempe promissio et acceptatio ex sua parte) abesset. Quod nemo autem ausus fuerit contendere. Quare obligationem ex parte emtoris vel licitantis iam ante adiudicationem adfuisse, necesse est.

§. 10.

Transeamus nunc ad refutationem rationum a Titio adductarum, qui praesertim maximum discrimen inter emtiones venditiones fiscales et subhastrationes nostras statuit. Provocat ad L. 21. §. fin. ad municip. et L. 1. C. de vend. reb. civit. Quibus tamen saepissime perlectis, neutiquam invenimus, quae Titius exinde deducere studet. In his legibus sermo est de venditione rerum civitatis, quae nulla conditione adiecta sit, quod praesertim docet L. 1. C. cit. opponiturque emtionibus venditionibus fisci, qui sine conditione adiecta ex bonis suis nil alienare potest. Sed hac decisione non excluditur potestas et in aliis, quam fiscalibus rebus admitta sub hasta publica vendendi, nec continet exclusionem effectus eiusdem in subhastrationibus publicis. Leges loquuntur de illo casu, quo fiscus sine omni conditione adiecta (quae omnibus autem subhastrationibus sua natura et legibus inest) rem vendidit. Hic adiectio intra certum tempus admittitur qua privilegium rebus fiscalibus inhaerens, in aliis autem legibus, quibus de subhastrationibus sermo est, idemque ius tribuitur hastae publicae, qua tabi. vid. L. 4. C. de fide
et

et iure hastae fisci. L. 50. D. de iure fisci. Inest subhastationi additio in diem, nec solummodo restringitur ad res fiscales. Quid quod in aliis quoque rebus praeter fiscales leges Romanae subhastationem publicam necessario requirant. Ita Auth. Hoc ius etc. C. de SS. Eccles. — „quo subsecuto, per viginti dies rem „ecclesiae venalem esse publice notum sit, ut plus offerenti detur; „aliter enim res emtori non conceditur.“ — Admittitur quoque subhastatio in rebus minorum, ut docet L. 3. C. si adver- sus fiscum. (De bonis minoris sermo est). „Sed quoniam per „collusionem sive fraudem tunc temporis procuratoris nostri „nimis exiguo pretio fundum tuum cum mancipiis venunda- „tum asseveras: si aditus Rationalis noster tuis adesse fidem al- „legationibus, nec servatam solemnitatem hastarum animadverberit „fisco te satisfaciente, revocata venditione fundum tibi restitui „iubebit.“ etc. vid. quoque L. 3. C. de exec. rei iud. L. 16. C. de rescind. emt. vend. Qui plura de his legere studet, ovoluat *Phi- lippii* tr. cit. Cap. II. per totum. In legibus illis a Titio citatis praesertim L. 1. C. de vend. reb. civit. expressis verbis excluditur casus, si sub quadam conditione res civitatum sint venditae, as- feriturque, tunc harum conditionum eundem esse effectum, quam venditionis fiscalis. Eiusmodi igitur admittitur conditio, qua ob- lata resolvitur vel annihilatur obligatio, ex emtione venditione proveniens, uti in venditionibus fiscalibus. Quid obstat autem, quo minus statuamus additionem tacitam inesse quoque subha- stationibus. *Philippi*, *Carpzov* et *Titius* omnesque alii in eo no- biscum conveniunt, illi adiudicandam esse rem, qui maximum obtulerit pretium intra tempus ad licitationem praefixum. Quod autem natura sua nil, nisi emtio venditio sub additione in diem




ininita, quod supra iam probatum est, item ac tractatum nomine
 obvenire haud posse licitationes. Quod si Titio concedatur, em-
 tionem fiscalem differre ab emtione venditione Romana publi-
 ca s. subhastatione, exinde tamen non sequitur, eas differre in
 effectu. Natura subhastationis consistit in eo, ut intra certum
 tempus rei proscriptae pretio aliquid liceat adiici, atque ante la-
 psum huius temporis ab emtore res irrevocabiliter acquiri haud
 possit. In eaque conveniunt sine omni dubio et venditiones fis-
 cales et subhastationes. Quod leges citatae non negant. Nihil
 aliud determinant, nisi res fiscales tantummodo distrahi posse sub
 lege additionis in diem, minime autem excludunt effectum ad-
 ditionis in diem vel expresse, vel tacite adiectae. Sin igitur sub-
 hastationi s. auctioni eadem conditio inest tacite ex sua natura,
 quae emtionibus fiscalibus ex lege, illa eundem quoque pro-
 ducere potest effectum, quam haec. Omne discrimen consistit
 in eo, ut omnibus venditionibus fiscalibus necessario inhaereat
 haec conditio, aliis venditionibus autem non, nisi expresse sit
 adiecta, aut profluat ex negotii natura. Incubisset igitur Titio
 probatio, legibus citatis prohibitam esse additionem in diem
 in omnibus aliis emtionibus, quam fiscalibus. Nonne expresse
 in omnibus subhastationibus haec adiicitur conditio, ut, si in-
 tra certum tempus melior emtor haud exsiterit, illi res sit ad-
 indicanda, cuius maximum fuerit pretium? Nonne expressa hic
 eadem additio, quae fiscalibus emtionibus ex lege tacite inest?
 Et quanquam talis conditio expressis verbis subhastationi non sit
 adiecta, attamen ex ipsius negotii natura iamiam profluit.

S. II.

Supereſt, ut inquiremus, utrum differant ſubhaſtationes noſtrae ab emtione Romanorum fiscali publica an non? Finis huius eſt, ut de pecunia parata ſiſci neceſſitatibus conſulatur, vel ut Donelli utar verbis: „Inter-eſt reipublicae, poſſe ſiſcum quam commodiſſime vendere, ut de pecunia inde redacta in publicum conſulatur. Idemque finis et noſtris ſubhaſtationibus, tam neceſſariis quam voluntariis, eſt. In eoque ambae conveniunt. Porro in emtione vendit. fiscali publica requirebatur proſcriptio. vid. L. 6. C. de fide et jure haſtae ſiſc. L. 15. §. 22. D. de injuriis. Quod etiam hodie in ſubhaſtationibus obſervatur. — Neceſſaria erat auctio, nempe ipſius pretii, quo reſpectu etiam dicitur adjectio, cum nimirum ad pretium ab uno licitatore oblatum, alter aliquid adjicit, atque ita pretium auget et meliorem conditionem offert. vid. *Philippi* l. c. Cap. III. comm. VII. *Tabor* l. c. §. 16. Quod et in noſtris obvenit auctionibus. — Deinde ſubhaſtatio non momento peragi poteſt, ſed tractum temporis deſiderat, ut illo ſpatio emtores poſſint licitari et auctionari et tandem meliorem ſ. utiliſſimam conditionem offerenti res addicatur ſec. L. 4. §. 6. D. de in diem addict. L. 4. C. de fide et jure haſtae ſiſc. Quod idem noſtris temporibus in ſubhaſtationibus obſervatur. — Effectus venditionis fiscali publicae conſiſtit in eo, ut rite et juſte abſoluta auctione, emtio venditio perpetuam accipiat firmitatem vid. L. ult. C. ſi propter publ. penſit. L. 8. C. de remiſſione pign. Idemque effectus tribuitur auctionibus. Quod autem attinet ad effectus ſubhaſtationibus noſtris attributos, nulla indigent probatione, quia conſiſtunt in notorietate.

Vi.



Videatur tamen *Philippi* l. saepius cit. Cap. III. et IV. Nullum igitur in negotii essentialibus superest discrimen inter emtiones venditiones Romanorum fiscales publicas et subhastationes nostras. Nam conveniunt ambae in fine, solennitatibus et effectu. Quare omni jure ea, quae de illis praedicantur, et de his praedici possunt.

Quae cum ita sint, subhastationibus nostris semper inesse quoque additionis in diem legem, nemo amplius dubitabit: Ex eisdemque igitur principiis effectus sunt dijudicandi, ex quibus quaestiones in materia de emtionibus venditionibus additione in diem munitis decisionem petunt.

§. 12.

Difficilis nunc haud erit decisio casus ab initio prolati: An licitatori permissum sit, ob deteriorationem praedii pendente subhastationis termino casu exortam, a licito recedere nondum elapso ad licitandum tempore?

In antecedentibus probavimus, inesse subhastationi additionem in diem. Quae effectum habet vel resolutivum, vel suspensivum. Priori casu L. 2. §. 1 et 2. D. de in diem add. continet decisionem. „Nam, si quidem hoc actum est, ut meliore „allata conditione discedatur, erit *pura emtio*, quae sub conditione resolvitur.“ L. 11. §. 10. D. quod vi aut clam. „Si fundus in diem addictus sit, et commodum et incommodum
omne

omne ad emtorem pertinet, antequam venditio transferatur“
 Secundum L. 8. D. de periculo et commodo rei vend: „Emtio
 venditio est perfecta, si id, quod venierit appareat, quid, qua-
 le, quantum sit, et pretium et pure.“ Ab emtione autem ven-
 ditione perfecta nemini recedere licet arg. pr. I. de actione emti
 venditi. *Hellfeld* jurispr. for. §. 983. Quare hoc ex argumento
 licitatori haud licet recedere a licito semel peracto.

Uteriori casu, si addictio in diem suspensiva est adjecta, nec
 magis licet invito venditore resilire a pacto. Pendente condi-
 tione adest obligatio ad expectandum, nec valet pactum de ea-
 dem re ex post cum alio pure initum, sed praefertur ille
 contrahens, qui jamjam jus habet quaesitum ex pacto conditio-
 nato, quod docent §. 4. I. de verbor. oblig. L. 73. §. 1. D. ad L.
 Falcid. L. 9. et L. 11. D. qui potiores in pignore. *Lauterbach* in
 Comp. Digg. in tit. de contrah. emt. vend. *Stryk* ad eundem etc.
Ravensberg de conditionibus Cap. III. Contrahentes itaque sunt
 obligati. Expectandum igitur est, utrum existat conditio, an
 non. Conditione autem existente eodem jure dijudicanda est
 emtio venditio sub additione suspensiva inita, quam pura, quasi
 jam contracta emtione in praeteritum. L. 11. §. 1. D. qui potiores
 in pignore. L. 16. D. resolutionibus etc. L. 8. D. de periculo
 et commodo rei venditae. Tenetur igitur licitator seu emtor
 eadem vi, ac si iniisset emtionem puram. Nec aliud quid
 ob damnum pendente conditione exortum statuendum, quia sec.
 L. 8. D. de per. et cond. rei vend. damnum est emtoris, si ex-
 sret adhuc res, licet deterior effecta sit. Quare nec ex hoc capi-
 te licitatori competit ius pendente conditione recedendi a licito.

Nobiscum faciunt inter alios *Berger* in electis discep. forens:
Tit. XXXIX. obs. 9. *Wernher* in observat. P. XI. obs. 553. *Hom-*
mel in obs. obs. DLXXXVI. n. 10. et 11.

§. 13.


Perspiciamus denique nonnullas leges provinciales, quidve
de illo sentiant casu investigemus. Primario evolvamur Or-
dinationem Subhastationis a clem. regente Duce Saxo-Vinari-
si anno praeterlapso latam. Qua §. 1. ita definitur subhastatio:
„Die Subhastation ist diejenige gerichtliche Handlung, mittelst
„Güthern in den Gesetzen gleichgeachtete Gerechtigkeiten, öf-
„fentlich feilgebothen, und die Kauflustige aufgefordert wer-
„den, ihr Gebot abzugeben, und, insofern sie meistbietende
„bleiben, den Zuschlag zu gewärtigen.“ — Quae descriptio
cum illa a nobis ex legibus Romanis deducta omni modo con-
venit — Omnes igitur quoque effectus producere debet, quos
subhastationi ex jure communi tribuimus, nisi lex specialis ex-
presse aliud statuat. — Ratione obligationis ex licito descen-
dentis magis autem firmat haec lex sententiam nostram. §. 39. quae
de hoc agit capite, sic sonat. „Wenn ein Licitant überboten wor-
„den; so ist er in dem Fall, wenn derjenige, welcher ihn über-
„boten, entweder unter dem subhastirenden Richter hinlanglich
„angefessen ist, oder wegen des baar zu erlegenden Quanti Cau-
„tion gemacht hat, an sein Gebot nicht weiter gebunden. *Wer*
„hingegen nicht überboten wird, bey dem kann eine Reue auf keine andere
„Art statt finden, als dals er den — spättens in dem Adjudications-
„Termin

„Termin baar zu erlegen gewesen — Theil seines Liciti,
 „welcher nach den §. 40. xu arbitriren ist — zum Besten des
 „Schuldners, oder der Concurs Masse, dem oder der solcher
 „heimfallen soll, sofort baar bezahlt.“

Hic sine omni restrictione excluditur facultas recedendi a
 licito, et obligatio standi conventioni s. licito mutatur in obli-
 gationem soluendi partem liciti. Cum autem hac lege casus ille,
 si damno casuali deterior reddita est res, haud excludatur, jus
 Romanum subsidiarium damnum deteriorationis emtori injun-
 git; idemque et nostra in provincia ea de re statuedum esse, quod
 jure communi, nemo dubitabit.

Ordinatio Processus Duc. Gothan. de anno 1776. P. 1. Cap.
 XXXV. §. 15 in medio eandem causae decisionem, iisdemque
 fere verbis continet: „Wenn ein Licitant überbothen worden,
 „so ist er an sein Geboth nicht weiter gebunden. Wer hingegen
 „nicht überbothen wird, bei dem kann eine Reue auf keine andere
 „Art statt finden, als das er den Xten Theil seines Liciti zum
 „Besten des Schuldners oder der Concurs-Masse baar erlegt.“

Quod attinet ad Ord. Proc. Rec. Elect. Sax. ad Tit. XXXIV.
 §. 14, seq. et Ord. Pr. Duc. Altenb. P. I. c. XXXV. §. 16 seq. quae
 in essentialibus rei conveniunt, non ita aperte ac illae in So.
 antec. allegatae, implicite tamen eadem continent: Sancit-
 tur §. 14. „binnen dieser Zeit (a tempore affixionis libelli, quod
 vocatur Subhastations — Patent) und bis zu dem, zum gericht-
 „lichen Verkauf angesetztten Termin, stehet einem jeden frey,
 E münd-



„mündlich oder schriftlich, vermittelst eines offenen oder versie-
 „gelten Schreibens bey denen Gerichten, wo der Subhastation.
 „Proceß anhängig sich zu melden, und sein Licitum zu überge-
 „ben. — §. 15 In solchen Termino nun werden die versiegelt
 „eingereichten Schreiben eröffnet, und mit den übrigen in
 „der Ordnung, wie die darinnen enthaltenen Licita auf einan-
 „der steigen, registrirret und abgelesen, und darauf des Vormit-
 „tags um 10 Uhr die Güther mit dem höchsten Licito in der Ge-
 „richtsstube öffentlich ausgerufen. Wenn sich nun zwischen
 „10 und 11 Uhr niemand zu einem höhern Licito erbiethet, so wird es
 „sodann mit solchem Geboth, oder aber, da vor 11 Uhr dieses supe-
 „rirt worden wäre, mit dem höchsten Licito, so inzwischen ge-
 „schehen, nochmalts ausgerufen, und hat darauff, sobald es 12
 „ausgeschlagen, derjenige so inzwischen das meiste, und zwar
 „öffentlich in der Gerichtsstube licitirt, oder in dessen Entstehung
 „der, so vorher das meiste gebothen das Guth erstanden, — §. 16.“ —
 „Also soll im übrigen derjenige, so das Guth erstanden, so gleich
 „und wenigstens vor dem Termino adiudicationis, den zehen-
 „den Theil des darauf gethanen Liciti baar erlegen, oder deswe-
 „gen tüchtige Caution mit Bürgen oder Pfänden bestellen, des-
 „sen er denn, wenn er von seinem Licito wieder abgehen oder
 „pönitiren wollte, vor verlustig zu achten.“ In his legibus quo-
 „que latet sententia, licitatore a licito nullo alio modo liberari
 „posse, nisi maiore et pinguiore licito oblato. Quod cum ante la-
 „psum termini dici non possit, nec ante hunc poena legibus sta-
 „tuta, in quam obligatio standi contractui mutata est, iniungi po-
 „test.

§. 14.

Iis in territoriis, in quibus viget adhuc subhastatio, specialis vocata, aliud praeterea argumentum pro nostra militat sententia. Hic culpa eius, qui plus adicit priori licito, adjudicatio, qua sine omni dubio omne damnum transfisset in emtorem, protracta est, et venditor damnum ex facto alterius, nempe licitatoris sentire tenetur. — Quod non solum contra omne ius, sed contra omnem etiam aequitatem veniret. — Sed haec sufficiant.

E R R A T A.

- Pag. 7. linea ultima loco verbi: hebdomates, lege: hebdomadae.
 Pag. 11. lin. 9. loco verbi: vix, lege: via.
 Pag. 13. lin. 24. loco verbi: Quo, lege: Qua.
 Pag. 15. lin. 17. loco verborum: per acta, lege: peracta.
 Pag. 15. lin. 23. verbis: ferre tenetur, adicias: emtoz.
 Pag. 16. lin. 7. verbum: haec, deleatur.
-

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Zella, Pfl., 1790-1800



f

h.







Farbkarte #13

B.I.G.

1799, 1

23

DE
FACVLTATE, RECEDENDI A LICITO IN-
TRA LICITATIONIS TERMINVM, OB DETERIORA-
TIONEM PRAEDII, CASV EXORTAM,
LICITATORI DENEGANDA.

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE

ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE

PRO

IVRIVM DOCTORIS DIGNITATE

DIE XXVII. APRILIS MDCCCLXXXIX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS HEYLIGENSTAEDT

IENENSIS

ADVOCATVS SAXO VINAR. ET SOC. LAT. IEN. SODALIS.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNI.